PARENTALIA ANNIUERSARIA, DUCI AUGUSTO, ELECTORI SAXONIAE, ETC. P.M. SECUNDÙM HABITA...

Johann Major

PARENTALIA.

ETSI viuit adhuc AVGVSTI herois imago
Pectoribus noſtris, & regione poli:
Nec tàm mortis honos ex noſtro carmine ſpirat,
Quàm veſtri cœtus flore renidet odor:
Nos tamen hic mundi ſtatus, omni turbine plenus,
Sic facit interdum lucis habere nihil:
Vt quæ penè geri aſpicimus, ſenſusque fatetur
Eſſe: tamen fieri noſtra querela neget:
Nempè, quòd ex oculis ſublato autore ſalubri,
Ducatur penitus terga dediſſe Salus.
Quòdque Dei numen nil ſit, vel inerme ſecundis
Pendeat à cauſſis, ac ut aguntur, agat.
Publicus in vicis hinc luctus, in agmine ſqualor,
Fronte volans ſindon, lacryma ſalſa genis.
SED ſi quis reputet quo nunc ſit in ordine: non hoc
Exigere à nobis triſte videtur opus;
Nec de ſorte ſua feret hac ſe ſorde reduci.
Lætitiamúe poli prodet amore ſoli.

Me tamen hæc mœſti conſeſſus forma retardat,
Impedit & vocum texta canora dolor.
DVM dubito, quo flore velim exornare ſepultum:
Sylua ſui meriti repperit ecce modum.
Quæq; ſubinde gemens AVGVSTI excurrit ad ur-
Condendæ ad laudis Muſa vocatur opus. (nã:
Illud, quando pia eſt in morte querela, probatis;
(Senſus enim ex magno funere, maior erit:)
Hoc, quia ſit vobis exempla audire ſalubre,
Poſcitis, haud dubijs æmula turba notis.
Semper in exemplis vis eſt, & gratia maior,
Quàm ſi virtutum regula nuda ſonet.
Vix ſibi quis mortem debet ſperare beatam,
Vita niſi ſtudijs tota ſit acta pijs.
Dulcius eſt autem famam proferre laborum
Quos Dux Auguſtus geſsit agente Deo:
Quàm ſi mœſtitiam theatris inferret arundo
Flebiliter preſsis officioſa ſonis.
Dum laudatur enim claris vir cognitus auſis:
Omnis ad autorem laus redit iſta Deum.
Inſtrumenta Dei ſumus in virtute gerenda;
Quo ſine, nec benè vult, nec benè ſentit homo.
Mœror

Mœror, obeſt viuis: nec ſubleuat æthere caſſos;
Laus, mouet aſtantes, exanimesq́ue iuuat.
NON igitur canimus duri ſolatia caſus:
Namq́ue piè claudens fata, beatus erit;
Sed potius memorem teſtantia carmina curam;
Et chorus hic, gratæ pignora mentis habet.
Eſt pietas lugere piè fata ultima paſſos;
Nec lugere modò fata, ſed acta ſequi.
Nam quid amabilius, ſibi quàm virtute paraſſe
Famam, quæ vita eſt altera, morte carens.
QVARE fert animus quædam faſtigia laudum
Tangere, materia non ſuperante diem.
Non ut ego hūc ſperem me poſſe æquare canendo,
Qui ſupera exceſsit laudibus aſtra ſuis:
Sed ne vel meriti puter immemor eſſe recepti;
Vel ſpeciem ex animo depoſuiſſe ſuam.
Pauca feram è multis; non omnia poſſumus uno
Tempore tàm magni facta referre Ducis:
Virtutem, pietatis opus, regniq́ue labores;
Carmine digna gerens, carmine dignus erit.
Nec qui conſilijs æuum proſpexit ad omne,
Ipſius laudes clauſerit hora breuis.

Dent numeros Muſæ faciles ad vota: ſed illē
Materiem numeris: vim dabit ipſe Deus.
Sit ſua virtuti laus ſemper, carmina ſemper,
Quæ maneant, dum me fata manere volent.
EIVS at egregiæ res clara in luce vagantur,
Nec voce ornantis, ſed referentis egent.
Virtutum ſpecies Auguſti illius auiti
Finxit in hoc noſtro gratia mira Dei.
Vt quarum famam penè abſtulit ægra vetuſtas,
Stirpe noua hac, flores contrahat illa nouos.
Hic operum in cunctа præluxit parte futuris:
Totus eſt officij forma prioris erat.
EXCITAT imperijs Deus arte, aut Marte peritos,
Cùm languet pietas, officiumq́ue iacet.
Cura gubernacli, quo vita humana tenetur,
Ducitur in ſpecies arte ſecanda duas.
Vna, ſacras ſortes: ciuiles altera tractat;
Haſq́ue tegit propter munia ſacra Deus.
Puplica res ideò ſeruatur, ut agmen amicum
Vnigenæ Nato colligat inde Deus.
Sed ſator & cuſtos utriusq́ue potentis habenæ
Eſt Deus; utq́ue dedit, ſic & utranq́ue tegit.
c Arguit

Arguit hoc, ſtatuæ Chaldeæ illuſtris imago:
Perq́ue Deum cætus condita forma ſacri.
Hinc à principio dedit aeria pectora quædam,
Per quæ ſurrexit res ſacra, viſq́ue fori.
Sic qui venatu Nimrothus nomen habebat:
Et qui tranſilijt per ſola, more capri.
Et vetus Auguſtus: nouus hic & nominis hœres,
In virtute prior, maior amore Dei.
Anchora ceu fundat naues: ſic ille procellis
Iactato imperio fulcra, ſtatumq́ue dedit.
NAM cùm Francus homo conuellens fœdera regni
Spe quoſdam impoſuit, depoſuitq́ue Duces:
Hic Cacum, è latebris nitrato puluere glandes
Dum vomit, in partes quatuor enſe ſcidit.
Et ſicut radijs Pythona affecit Apollo:
Sic vi ſacrilegam contudit ille manum.
VTQ; homines moniti quid turpi diſtet honeſtũ
Mente ſua effingant vim, ſpeciemq́ue Dei:
Nempè, boni, caſti, ac iuſti veriq́ue tenacis,
Diſcreti à gregibus qui petulanter agunt:
Ordo poteſtatis cœleſti à numine primùm
Eſt ſatus, & mundi durat ad uſq́ue vicem,
Ac vt

Ac ut notities virtutum conſita menti
Luceat expreſsis officioſa notis:
Imperia ingreſſus fecerunt ordine diuûm,
Ac ornata Dei vi, retulêre Deum.
Nempê, Dei ut nobis pateſiat certá voluntas,
Et pœnis ſcelerum turba prematur iners.
Et Deus eſt morum cuſtos; perque arma potentûm
Atrox flagitium penſat atroce malo.
QVARE fama memor de vita ac moribus horum
Ad virtutis iter pectora grata trahat.
Nam licet Auguſto ſimiles vix ſuſtinet Orbis:
Eſt tamen in tenui vis quoque vaſe Dei.
Is genus Auguſti ſolio ſeruabit auito:
Et genus ut ſeruet, vota, preceſque damus.
Ne tamen huic cauſſas iræ, pœnæque feratis:
Virtutis ſtudium ſit, vitijque fuga.
Cura modum in geſtu ſeruandi tempore læto,
Eſt decus: in mœſto tranſilijſſe, ſcelus.
Senſus enim ærumnæ debet compeſcere ludos;
Hei mihi quàm cætus ſqualida forma ſacri eſt:
Relligio in partes diſcerpitur: Artibus umbra
Imminet: & populis pœna, ruina foro.

Non

Non hoc ergo ſibi poſcit ſpectacula tempus,
Si precibus debet quiſque vacare pijs.
Cùm geſtaret Achas Iudeæ gentis habenas:
Tunc Solymæ templum vinxit inane ſeris.
Et vanum inſtituit cultum bis quinque per annos,
Pulcraque Samariæ ſubdidit arua iugo.
Volue animo pœnas cauſſasque, iterumq́; reuolue,
Teque bonâ ad frugem flecte, metumq́; Dei.
Nam gula, deſpectusque Dei vim ſumſerat illic:
Hinc æquata iacent oppida multa ſolo.
Magnaque pars gentis, Ioſephi ex ſtirpe reſultans,
Sole ſub externo ferre coacta iugum eſt.
RES eadem geritur diuerſo nomine, & æuo;
Hinc Turcæ rabies imminet: inde Papæ.
Ille quidem incurſus facit, & tenera agmina præ ſe
Perpetua includens in iuga ſæuus agit,
Exigit hic nidis qui ſacra iniuſſa repellunt,
Triticeoque negant fundere vota Deo.
Quid loquor, an nidis tantùm exigit? enſe, vel igne,
Amne, rota, & laqueo corpora fracta necat.
Et circo imperij medio hæc exempla geruntur;
Sed quis ab exemplis ſanctior eſſe cupit?

B Imò

Imò, addit ſtimulum furijs, pœnæque volanti
Dat pennas vitijs, increpitatque moram.
AT non ſic Auguſtus erat; nec talis ut eſſes
Subſidia ad ſtudium præbuit ampla tuum:
Vt tu non meritum de te quid tale, ſequaris
Carminibus Natum, criminibusque tuis:
Officium in vitium, laudemque in probra trahendo
Exagites, magna quæ ratione facit.
Qui rem doctrinæ, ad ſeriem lucemque priorem,
Quæ preſſa eſt fatuo nuper ab igne, refert.
Nec ſibi, ſed patriæ natum ſe cogitat ipſi,
Cuius ei curam tradidit antè pater.
Cumque onere ad natum res tranſijt; ipſeq; ſanguis
Patris virtutes, ac imitatur aui.
SI venit in mentem patriæ mihi gratia frontis,
Quæ ſolet internæ dotis habere notam:
Tum ſubit & fandi grauitas conſperſa lepore,
Quæ corda ad partes traxit honeſta ſuas:
Qua res imperij commotas turbine Martis
Eſt ſolitus formæ reſtituiſſe ſuæ;
Neúe aliqua in ſacris varians ſententia rebus
Pontifici ad cœdes rem, ſpeciemque daret:
Hic

Hic apud imperij caput egit, ne qua poteſtas
Ob partes factas ſumeret arma manu.
Fœdere quo gaudet quoq; gens, hac diſsita gente,
Sed te Chriſte Deum, non ſacra farra colens.
Neruus in hoc cultu ſtat cœdum, omnisq; vigoris
Quem cinctus vitta triplice præſul habet.
Hunc qui re ſtatuunt, vel firmant voce ſiniſtra:
Quid, niſi defendunt vimq; dolosq; Papæ?
Gens ea nobiſcum ſe Papæ à iure reſoluit;
Cur igitur noſtra deſtituatur ópe?
Si gens non moueat, moueat nos cauſſa, Deusq;,
Cuius ea eſt, cuius nos & utriusq; ſumus.
Si gentis cauſſam tamē amplectamur, (ut æquū eſt
Nos fugere hunc cultum qui ſine lege Dei eſt:)
Cur opera gentem non amplectamur eadem?
Nos petit, atq; illam fulmen, & ira Papæ.
Vritur & caluus ſimul, & crinitus Iôpas,
Nec ratio, nec habet docta Minerua locum.
HOC tamen inuento perfecit noſter Orion
Ne vis Pontificis latius arma ferat.
Diſtractosq; animis proceres ad fœdera iunxit,
Preſsit & inflatas gratia facta tubas,

Plus igitur pace obtinuit, quàm Carolus armis:
Hic vi, conſilijs utilis ille fuit.
Ac licet ipſe ſua melius vel ab indole noſſet
Ad res tractandas quæ via plana foret:
Aut in ſe potius deſcendens quærere poſſet
Conſilia ex adytis pectoris ipſe ſui:
Attamen & legum rationem ac ſcita repoſcit,
Nil ſine ſorte gerens, nil ſine iure ſequens.
Et quanquàm acceſsit monitorum cura fidelis,
Qui rem ſuggerent, præciperentque modum:
Lux animi tamen, atque acies ipſi inſita fato
Omne ſuum in recti fine tenebat opus.
Et fuit huic uſu Sophiæ cultura diſertæ,
Cui vir iam factus tempora certa dedit:
Ipſe licet claris exemplis imbuit æuum,
Virtutumque hauſit ſemina voce patris.
Nanque gerendarum rerum velut eſſe magiſtras,
Ac artes famam ſenſit habere Dei.
Ex his præſidium varijs in caſibus exit:
Inque his ſubſidium relligionis ineſt.
Hinc ut continuum Pietas ceu ſemen haberet:
Inſtituit ludos, Pieridûmque choros.

Addidit

Addidit & cenſus, fructusúe, leuamina vitæ,
Atque pio miſeram depulit ære vicem.
Senſit enim non poſſe ſacros ſe tollere cœtus,
Nî cultu Sophiæ nixa ruina foret.
Cura poteſtatis: fuga morbi: oracula legum:
: Omne ſuum ingenua ſemen ab arte trahunt.
Quare, quòd vigor eſt regnis, laribusque, foroque:
Separat & rabidis nos pia vita feris:
Gratia prima Deo, ſed Muſis proxima fertur:
Vltima, qui ſedes fecit utriſque Duci.
Scilicet omnipotens mortales fuſa per artus
Mens mentem Auguſti viſa mouere fuit.
Nam ſua quid referā ſtudia, & tot in artibus uſum,
Fallebat quarum captus amore dies?
Materia ex rerum naturæ fonte petita
Pectoris aſſueuit vim recreare ſui.
Nempè labore ſuo, nec nixus voce magiſtri
Eruit arcanæ cognitionis opes.
Omnis & ætatis res geſtas, omnis & artis
Comprenſum memori mente tenebat opus:
Ceu mundi ſpacia, & partes, formasque locorum,
Menſuras, numeros, cœlica ſigna, modos.

Vt, ſi quando chorus faceret diſcrimina vocum,
Vel caua det ſonitum pollice tacta fides:
Is chorda modulos expromere poſſet eoſdem,
Tinnulaq́ue arguta tundere fila manu.
Quin etiam partes naturæ noverat omnes,
Quamq́ue viam morum vita beata velit:
Materiæ & ſemper patientis, ſemper agentis
Fluxus: & mundum qualia fata regant:
Quo motore tenax cauſſarum pendeat ordo:
Quiq́ue ſit, & quales nos velit eſſe Deus.
Quæ bona ſint nobis, quæ noxia ſidera nôrat,
Quasq́ue ferant rebus, corporibusq́ue vices.
Hisq́ue Dionæus media inter prælia Cæſar:
Artibus his quintus Carolus uſus erat.
His nihil ornatu maius, iucundius uſu:
Harum deſpectum vindicat ira Dei.
Cùm mala ſigna daret mox Sol, mox Luna pericli:
Penelopes crudos mors tulit atra procos.
Semper ei cordi verſare volumina quædam
De vi naturæ prodita, ſiue Deo.
Cultibus hinc rectis utriusq́ue examina ſexus
Induit in mores, notitiamq́ue Dei.

Quin

Quin mentē ætherius quidam conſperſerat hauſtus,
Conſcius &, quæ nam fata trahantur, erat.
Cuius & ingenium cœleſte, & motus ad artes
Doctore erueret vel meliora ſuo.
Omne quod Ægypto Babylon, Ægyptus Athenis
Tradidit, hoc ſolers cura notabat opus.
Tot fœcunda bonis habuit qui pectora: & in quo
Agmina virtutum compoſuêre larem.
Calluit & quicquid tenuêre oracula vatum,
Suppoſuitque animo cœlica ſcripta ſuo.
Panditur unde homini vitæ melioris origo,
Quæque Dei eſt nobis morte redemta ſalus.
Tàm benè diuerſas is ad unguem nouerat artes,
Quæ vel tractantur mente, vel arte manus;
Vt quibus eſt ſolidè vita has exculta per artes,
Sed fames his, illi fama mouebat opus.
Omne genus morbi nôrat, quæque alma facultas
Inſita ſit gemmis, germinibusque ſoli.
Multis, quos ſtygiæ voluit Charon indere cymbæ,
Pœoniæ morbum depulit artis ope.
Vtque orbes cœli, motusque expendere poſſet:
Æmula ſydereæ fabrica molis erat.

Auſus

Auſus & in pulcros naturæ intrare receſſus
    Excluſit cauſſæ ſæpè latentis opus.
Germina, quæ ſors parca loci negat, arte parauit,
    Fecit & ex herbis, arboribusq́ue nemus.
Quæq́ue auibus prædas ſine cultu luſtra ferebant:
    Nunc varij generis munera veſca gerunt.
Vtq́uè vicem alternam requies ac motus haberent,
    Et mentem releuent: corpore fecit opus.
Vnda carens motu vitium capit; incita, ſana eſt;
    Segnia perpetuus corpora languor habet.
Sed tamen aſsiduo ferrum quoq́ue læditur uſu;
    Ingenium nimia ſedulitate perit.
Nec luſu abſumaſit, vel inerti tempora luxu;
    Officium extinguit copia larga meri.
Hinc animi cauſſa ſaltus luſtrauit amœnos,
    Ac agilem anguſto limite flexit equum.
Nunc labor aut lino volucres, aut nectere viſco,
    Aut cane de latebris exagitare feras.
Aut captare vagos tremula ſub arundine piſces,
    Aut formam torni fingere ab arte nouam.
Et iuuenum tentabat opus, fixasq́ue supernè
    Vi iaculi fictas deijciebat aues.

Arcu-

Arcubus emiſſæ certabat in arte ſagittæ,
Tormento expulſis vel crepitante globis.
Cùmque domus ſuperæ quidam eſſet ſenſus in ipſo,
Qua mora pòſt mundi fata perennis erit:
Grandibus eduxit moles, atque atria ſaxis;
Ciuibus hinc decus eſt, hoſtibus inde metus.
Tot ſpecies operum, & varij inſtrumenta laboris
Ære peracta, ſua condita ſede latent.
Qualia vel ſtupeat Phydias, Mentorúe, Myronúe,
Cum veterũ certant quæ monumenta manu.
Adde cauis fixa arma tholis, Mauortis ad uſum,
Quæque Iouis ſonitus ænea canna refert.
Rex Macedûm, & Xerxes qui faſtu perdidit agmen
Miretur ſeriem, materiæque decus.
Non ut præſidijs fiducia ſtaret in iſtis,
Vllaque in armorum iacta ſit arte ſalus:
Siue minas, animoſque ferox opponeret ulli,
Aggere Titanes quod voluêre ſuo:
Sed patriæ ex omni quòd cauit parte ſaluti;
(Semper enim inuidiã forma potentis habet.)
Molibus his, habuit reſpectum ad commoda regni,
Extulit ad Geticas quas pia cura minas.

FILIVS his meritis cumulum adijcit, inq; paternas
Ingreſſus partes ſacra, forumque iuuat.
Perge pijs Muſis, ſanguis pius, eſſe benignus:
Aurea perge tuo condere ſecla gregi.
Stat Deus à dextra tibi, præfert lumina virtus,
Et mouet à tergo fama canora pedem.
Quem pietas, artesque mouent in limine regni,
Neſtoris hunc annos da ſuperare Deus.
Dumque alibi ſtipulas aliquis per pulpita ſpargit,
Quas Syrus inſuaui voce Iacobus habet:
Hîc, virtute Dei ac Ducis expers fraudis auitæ
Fert benè compoſitos lingua modeſta ſonos:
Et docet innocuam reſonare Melanthona pubem,
Huius & ad normam ducere in arte gradus:
Huius & ad filum, per cæca volumina ferri,
Perque doli flexus, ambiguosque ſonos.
Sub quo doctrinamque Dei, Sophiamq; magiſtro
Percipere, & ſoboli tradere voce velint.
HOC Deus extremum ceu lumē in Orbe futurum
Extulit, ut ſacram monſtret in arte viam:
Non illam quæ ſacra via eſt in Tybridis urbe;
Quodq; nouum PROTEVS nomine fecit iter.

Muneris

Muneris ô memoremq́ue ſui, noſtræq́ue ſalutis:
O exemplar aui, munificiq́ue pa tris .
Quem ſi fucus iners obiecto luſit inani:
Conſilium, & pietas digna favore fuit.
Nanq́ue animi curas finem defixit ad iſtum,
Vt concors eſſet pro pietate ſonus.
Sed non ſemper opus reſpondet, & aura labori;
Fallitur & votis ſpes pia ſæpè ſuis.
Fulſerat Auguſto cum Luna jn culmine cœli
Gorgonis os, flexu quod ferus anguis obit:
Hocq́ue metum ſemper ductori iniecit Ibero,
Continuitq́ue tuas Papa nefande manus.
Spes erat hunc ipſum res Iſraëlis acerbas
Nobis in ſolidum poſſe referre ſtatum.
Tantà nec eſt quenquam pietatis fama ſecuta;
Namq́ue animo, & factis Cyrus ut alter erat.
Fata ſed humanis quædam ſunt invida rebus;
Nec regitur noſtra cœtus ab arte pius.
Fax, quæ Caſsiopes in ſigno nuper oborta eſt,
Penè aliquam toto fecit in Orbe vicem.
Audet quisq́; tamen quantum valet: ipſaq́; laudem
Virtutis ſpecies debet habere ſuam.

Hinc pax arua colit, lances Themis explicat æquas,
Virgoque, quam terris expulit antè nefas.
Nam ſimul æthereos ſenſus cum lacte bibiſſet:
Finxit ab his mores, conſilijq́ue vias:
Cuſtos officij, vindex labentis honeſti,
Muſarum columen, præſidiumq́ue togæ.
Nec genere, aut opibus fretus ſeſe extulit unquam;
Non uſus regno, viq́ue licenter erat.
Sed motus animi, freno ac ratione gubernans
Geſtibus externis iura ſevera dedit.
Nec temerè ſuperos ad pœnam labe laceſſens
Prouida cœleſti pectora rexit ope:
Ne ſpes concipiant fas contrà, & numina cœli,
Sed ſe contineant à feritate manus.
Perq; gradus omnes virtutum pectora ducens
Præluxit ſeptem clarus honore vitis.
Vt, ſi conſilio, ſiue armis poſceret uſus
Rem gerere: is neruos autor haberet opum.
ET quia nil ſine præſidio, & ſine munere Chriſti
Euentus faciles obtinuiſſe poteſt:
Prona quòd ad lapſum eſt, & vis humana fatiſcit:
Tunc Chriſti aſsidua voce vocauit opem.

Eſt

Fit ope cœleſti nobis opus; ardua non ſunt
Virtuti noſtræ, ſed tribuenda Deo.
Nil ſumus abſque Deo, ſed nouit quiſque, poteſtq;
Quantum noſſe Deus, poſſeque cuique dedit.
Sint labor, atq; preces tamen, & ſit prona voluntas;
Non contrà obnixis dat ſua dona Deus.
Non abeas quò te illecebra, aut niger impulit ales;
Cura ſit in geſtu, cordaque tangat honos.
Vtque regas mores: lucta, precibusq; regantur;
Vt mala deſtrueret fulſit in Orbe Deus.
Non tamen in ſegni, vel contemtore ſacrorum:
Sed prece qui poſcit languida corda regi.
Non adhibet neruis vim, nec trunco inſtat inerti:
Sed ſi verba volens ſucipis aure, trahit.
SIC Deus Auguſtum traxit per munia verbi,
Dum mens non renuit, ſed ſtudet eſſe ſequax.
A qua flamma procul vaga, ſed lex ſancta cubilis
Manſit in officij fine, vigore, fide.
Nam pudor, & verum ſunt cœtus ſigna ſacrati;
Intentum precibus lædere parcit Amor.
Voce ſacra inflexit ſenſus ſpirabile numen,
Motibus & leges lex dedit ipſa Dei.

Perq́ue fidem incoluit ſibi dedita pectora Chriſtus,
Flaminis eiusdem vi ſociante duos.
Huncq́ue ſuo inſtinctu docuit de numine Patris,
Viq́ue ſua exerta cor dedit eſſe nouum.
Et modus eſt duplex, quo nobis cauſſa ſalutis
Eſt datus immenſo Chriſtus amore Patris.
Nam veniam eſt meritus nobis luis antè parentem
Morte ſua, & vitæ munera certa novæ:
Omnibus in gradibus meriti, quod ſtipite tandem
Impleuit numeris pendulus ipſe ſuis.
Et quia tàm magnam fecit natura ruinam,
His ne ſpontè ſua poſsit habere fidem:
Gratia ſed delata foret paſſura repulſam,
Excuteretq́ue lues noſtra levantis opem:
Tunc in corde Fidem vi Flatus efficit æquam,
Qua meritum aptamus dote capace ſuum.
Vnde Deo accepti veniam, vitamq́ue beatam
Conſequimur verè nomine Chriſte tuo.
Cauſſa, quòd obiecto nixa eſt fiducia firmo;
Placatur Nati non niſi morte Pater.
Noſtra fides totam meritum ſe involuit in iſtud,
Nomine facta ſuo quæ facit eſſe ſua.

SED

SED quia naturæ poſt lapſum ſqualor inhæret:
Accidit huic tali nomine ſæpè dolor.
Accenſaque fide ſacrato à Flamine vera
Huic animum oppoſuit, ſollicitasque preces.
Atticus; aut Macedûm rex turpi obſiſtit amori:
Sed non vi ſuperi Flaminis illud agit.
Diſciplina vagas quædam premit obice flammas,
Quæ proprium humanæ eſt ſedulitatis opus.
Concutit hæc frenum, ut rationi pareat ardor,
Motus & in geſtum ne violenter eat.
Non ſpectant virtute Deum, non culpa dolori eſt,
Et natura ſequax quòd neget eſſe Deo.
Non etiam agnoſcunt pro nobis vota ferentem
Te quo noſtra ſalus Chriſte merente redit.
Non igitur ſpes vera ſubit, quam flabile numen
Parturit in Chriſtum reſpiciente fide.
ERGO Deum autorem Auguſtus virtutis habebat,
Cujus erat finis gloria ſola Dei.
Nil erat aſcitum, vel cauſſa temporis actum,
Ficta vel in geſtu gratia, mente dolus.
Acta piè ſua vita, pio ſe exoluit in actu;
Incluſit voces fluxio; nulla preces.

Nutus

Nutus enim indicium de Chriſto fecit apertum,
Cuius in officio mens requieuit ouans.
Et ſunt exuviæ rediturae à morte ſub auras,
Quæ fuerant, & erunt vasque, domusq; Dei.
SED cur te rapuit mors tanto in cardine rerum,
Exoptanda tuis cùm tua vita foret?
Ipſa tuo occaſu luxerunt ſidera cœli,
His quia notus eras, illaque nota tibi.
Nam velut Auguſtus pacatum reddidit Orbem:
Sic Orbi parta pace relinquis humum,
Pierides ſemper tua fletibus oſſa coronent
Quarum tu pariter dux, & alumnus eras.
Tu pacem extinctam reuocaſti ad ſceptra vocatus,
Dum lacera imperij membra coïre facis.
Inque animis hominum monumenta æterna locaſti
Iuſtitiæ neruis, & pietate Dei.
Deque tua famam virtute accepit Eôus,
Heſperus obſtupuit, ſenſit uterque polus.
Nec tua facta poteſt unum comprendere carmen:
Ordo ſed, ac ætas omnis in ore feret.
Ac alijs Muſis pôſt me memoranda relinquam;
Nunc apices rerum Muſa ſecuta mea eſt.

SOLA

SOLA tenet pietas cauſſas, fomentaque mortis;
Nam morti ſtimulos ſcit rapuiſſe Deum:
Nec nos morte premi ſine ſpe, de more ferarum:
Sed caro quòd menti conſita rurſus erit:
Oſtenditque pijs extremi dona receptus,
In quo damna ſuum ſunt habitura modum.
Ergo mori lucrum eſt, ſi mors ſit ianua vitæ,
Pro lue iuſtitiam, mellaque felle ferens.
NON aliter fieri potuit, quin occidat olim
Qui ſit communi lege creatus homo.
Nec quid in hoc lapſum eſt, ſed quid ſit ſorte rece-
Voluere nos grato pectore, et ore decet. (ptum
Cui pater, & mater, genus: at Deus æquus alumno
Virtutem dedit, & fata ſecunda dabit,
Natus enim, aut potius cœlo demiſſus ab alto eſt,
Vt condat populis aurea ſecla ſuis.
Scilicet hoc uno complectar ego omnia voto,
Viuat ut in Nato vis geminata Patris.
Sic pietate ſua ſe dignum nomine Chriſti
Geſſerit: & veræ laudis amore, patri.
Tu iuvenem euerſo ſaltem hunc ſuccurrere ſeclo,
O Deus indulgens ſecula longa, ſinas.

NON igitur te lamentis Auguſte ſequamur,
Cui ſit vita poſo, famaque parta ſolo.
Mors homini eſt quædam cōmunis meta laborum,
Et mala cùm ſolvat, nil habet ipſa mali.
Dat bona, non adimit; Nam laudis, & artis amantes
Muſæ Parcarum iura ſubire vetant.
Nos hæc officio, nos hæc donamus amori,
Quando tuæ famæ eſt annua dicta dies.
Chriſtum proq; Deo, & pro fonte ſalutis habebas:
Sic homo qui fueras, nunc habeâre Deus.
SALVE flos patriæ, dum te florere ſinebant
Vix aliquem terris fata datura parem.
O lux imperij, qua res habuêre colorem,
Et valuêre ſtatu nixà perenne, vale.
O patris Auguſti manes ſaluete beati,
Mensque beatorum ſede recepta, vale.
O ſalue à ſuperis data mundo ſtella ſalubris;
Reddita nunc ſuperis umbra beata, vale.

D I X I.

Rector

RECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

FVIT HOC IN MORE POSItum, inſtitutoq́ gentium, quæ non immanes planè eſſent atq́ feræ, vt ſingularem religionem adhiberent mortuis, eorumq́ memoriam omni genere monumentorum conſeruarent, & extenderent ad poſteros. Inſitam enim vel innatam potius hanc notionem in animis habebant, mortem non eſſe interitum, tollentem atq́ delentem omnia in homine: ſed meliorem hominis partem ſuperſtitem eſſe, & ſenſum quendam rerum, quæ hic gererentur, etiam pertinere ad mortuos. Itaq́ non ſolum funera de mortuis faciebant, ſumma religione ceremoniaq́: ſed & ſepulcrorum ſplendore ac magnificentia ita certabatur, vt modus illis tandem lege præfiniendus eſſet, ne effuſis nimium ſumtibus, exhaurirentur familiæ & Reſpub. Addebant & laudes defunctorum, vel carmine celebratas, orationéue, vel inciſas in ſepulcro. Quæ omnia ad hunc finem referebantur, vt & propinquis eorum, qui iam deceſsiſſent, leuationem aliquam doloris afferrent: & commemoratio virtutis ac nominis

præclari mortuorum, ſuperſtites ad laudatiſsimi exempli imitationem, & ad conſectationem veræ gloriæ, quæ virtutis comes eſt, exuſcitaret ac impelleret: Vt ſolet exemplorum vis magna eſſe in partem vtramq. Principum autem virorum et heroum laudationes, non in vna πανηγύρει conſumebantur vniuerſæ: ſed magno ludorum apparatu iterabantur quotannis, in magna hominum frequentia, populorumq́ celebritate. Atq res ad extremum eò deducta eſt, vt heroës illi, poſtquam mortem obijſſent, non in hominum amplius genere cenſerentur: ſed natura atq poteſtate proximè ad numen diuinum accedere, ac iam Dij planè facti eſſe crederentur, pari cultu & honore dignandi cum cæteris Dijs immortalibus, quorum origo ad homines referri non poſſet. Id nimirum erat, quod τὸ ἐκθειάζειν & ἀποθεοῦν nominabant, hoc eſt, diuinitatem tribuere homini, eumq́ in Deos reponere: cuius ἀποθεώσεως ſolennia, qua veneratione peracta fuerint apud Romanos, Herodianus luculentè commemorat, in hiſtoria Seueri Imperatoris. Etſi autem quæ ſuperſtitione nimia et inani, vel tetra quoq idolomania, recepta atq vſurpata fuerũt à gentibus, veri Dei ignaris, ea probare neq poſſumus neq debemus: & verraum etiam laudationum modum eſſe debere agnoſcimus: tamen commemoratione digna eſt atq prædicatione, hominum

illorum

illorum pietas erga mortuos, à qua longiſſimè abſuere immanes alij atq; barbari, qui corpora defunctorum temerè abijciebant, ſine vllo ſepulturæ honore, ſine lamentis, ſine laudationibus; δύσφημα libenter in præſenti relinquimus. Cæterum ſi oculos & animum referamus ad populum Dei, vt ſanctiora auguſtioraq; omnia in hoc fuerunt, non ſolùm quæ ad res diuinas pertinerent, ſed ad leges quoq; & inſtituta in ciuili ratione: ita & in exequijs funerum cohoneſtandis, iuſtisq; ſoluendis, religio maior adhibebatur, lugendo mortuos per dies plures, & de laudibus eorum prædicando cantu vel oratione, & ſtatuas ponendo ad ſepulcra, ac cætera deniq; vſurpando, quibus ſigna ederentur luctus publici, & nomen præclarum defuncti æterna memoria conſecraretur. Quòd igitur & hodie inter nos cum cæteris pijs funerum ceremonijs, hæc conſuetudo ſeruatur, vt illuſtres genere, ſapientia ac meritis viri, qui deceſſerunt, in congreſſibus publicis laudentur, & agones quaſi epitaphij inſtituantur hominum eruditorum, ſermone ac ſcriptis tales concelebrantium: id optima ratione fit, & honeſtiſſimam ſanctorum Dei imitationem complectitur. Etenim ordo iuſtitiæ hoc poſtulat, vt quibus vitæ ſocia fuit virtus: ijs mortis comes ſit gloria. Ac decantari olim ſolitas fuiſſe in populo Dei, virorum clarorum laudes: ex ijs

colligere eſt in promtu, quæ de Ioſia rege Iudæ narrantur, ſiue ſolennibus anniuerſarijs id factum fuerit, ſiue alio modo & tempore. Hæc ergo ut cogitationi veſtræ in præſentiā ſubijceremus, fecit acerba recordatio luctus & doloris, quem accepimus annis ſuperioribus, ex morte Illuſtriſſimi ac laudatiſſ. Principis Electoris AVGVSTI &c, cuius nomen in æterna ſit benedictione. Fuit is Princeps noſter ijs virtutibus præditus, quas in gubernatore pio, ſapiente & felice, meritò ſuſpicimus & admiramur. Quarum documenta illuſtria dedit, non in domeſtica ſolùm vitæ conſuetudine, quæ plena fuit integritatis ac ſanctimoniæ: ſed in publica quoq; auguſtiſsimi muneris adminiſtratione, ubi ſatis apparuit, Exelſitatis ipſius cogitationes, conſilia & actiones omnes directas fuiſſe, ad propagandam gloriam nominis diuini, ad patriæ commoda iuuanda, & ad tutandam ciuium populorumq; ſalutem & tranquillitatem. Ad quas res efficiendas, tùm alijs donis præclariſsimis inſtructus fuit à Deo, tùm autoritate apud ſummos Imperij proceres atq; ordines, apud exteros quoq; munitus ea, quæ maxima eſſet atq; grauiſsima, & ad firmandum communis patriæ noſtræ Germaniæ ſtatum ſalutarem ac tranquillum, plurimum ponderis & momenti haberet. Sed non eſt huius loci atq; inſtituti, oratione

complecti

complecti velle, ſive dona & ornamenta divina tanti princi-pis, ſive merita illius in patriam atq; in orbem Chriſtianum: maius id opus eſt, maior labor: & nunquam defuturos confidimus viros doctos & intelligentes, qui hoc pietatis officium præſtent optimè merito Princepi, eiuſq; nomen auguſtiſſimum immortalitati commendent. Vt tamen pietatis noſtræ memorisq; animi, & ſtudij ſubiectiſſimi in Patrem patriæ, aliqua iterum extet ſignificatio: Vir & Poëta clariſſimus, Dn. Iohannes Maior, S. Theologiæ Doctor, & Collega noſter, delegatam ſibi Illuſtriſſima autoritate, anniverſariam hanc operam ſumſit alteram, vt à Muſis ſuis proferat aliquid, quod debitas laudes complectatur Illuſtriſſimi ac Sanctiſſ: Principis demortui, & animos auditorum deducat ad conſiderationem beneficiorum ampliſſimorum, quæ DEVS per pios & ſalutares Principes largitur hominum generi. Cùm autem funebria hæc iuſta illo ipſo die, quo ante biennium Dux AVGVSTVS è vita exceſſit, celebrari non potuerint, quòd operæ in templo religioſæ impedirentur: & dies ab iſto ſextus, in quem plerunq; eiusmodi actus publicos conijcere ſolemus, eſſet infelix operum dies, vt loquitur Maro, propter Solis defectum: ideò in diem menſis 23. res tota differenda fuit. Itaq; hortamur Scolaſticos, atq; cæteros, qui iurisdictionem

ctionem noſtram agnoſcunt, ut indicato die, hora IX. ad cognoſcendum, quæ tum dicentur, frequentes conueniant, in loco quem eiuſmodi recitationibus tribui ſolere non ignorant. Precibus etiam ſuis iuvent rem communem, ac Deo commendent ſalutem & incolumitatem Illuſtriſsimi Principis Electoris, CHRISTIANI &c. Domini noſtri Clementiſs: cuius pietate & munificentia hoc doctrinarum domicilium nobis conſervatur: vt nutricius ſemper ſit Eccleſiæ DEI, & florente rerum ac regionum ſuarum ſtatu, felix viuat annos multos, cum lætiſsima ſpe poſteritatis etiam felicis, & ad longum tempus productæ, propter gloriam nominis divini, & hominum ſalutem.

Propoſitum die XVIII. Menſis Februarij. Anno Chriſti, M. D. LXXXVIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE